



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 11. De Transyluaniâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

N V M. 4. *Politia.*

OLIM Palatinus Multauius huic parti imperabat, sed inter duos fratres seſus eſt Principatus. Nunc omnino Turcis ſubdita eſt Beſſarabia, & per Baſſam Moncaſtrenſem adminiſtratur, eſtque quaſi Acropolis quâ Valachi, Moldaui, Tranſyluani in officio continentur.

§. II. *De Tranſyluania.*N V M. 1. *Nomen.*

NOMEN ei impoſitum à ſyluis, quibus ferè vndequaque præcingitur, ab Hungaris *Erdel* dicitur, à Germanis *Sibenburgen*, à Slauiſ *Siedra Gradika Ziemia*, quæ voces *ſeptem caſtra* ſignificant à 7. vrbibus quas hîc Saxones incolunt. Eius quoque pars à Hungaris *Iazap*, dicitur dubio procul à Iazygibus Metanaſtis. Item & CICVLI in eius angulum compacti ſunt, ſic dicti à voce *Szekel*, quæ Scytham ſonat; ſuntque reliquæ Hunnorum, poſtquam duo filij Attilæ Gentem ferè perdidiffent, huc enim confugere, & ne malè multarentur ob ſuperiores rapinas, & crudelitatem hoc ſibi nomen impoſuerunt, quia reuera erant origine Scythæ; atque *pharetrati Scythiciſ de ſnibus Hunni.*

N V M. 2. *Qualitas.*

REGIO ſupra fidem ferax, vini, frumenti, leguminum, omniumque fruſtuum. Auriferam regionem eſſe arguunt fluuij aurea ramenta deuehentes, item & maſſæ auri defæcati quæ paſſim reperiuntur. Ex montibus eruuntur hydrargyrum, ferrum, plumbum, ſtannum, minium, calcanthum, ſulphur, ſtibium, & marmor exquisitiſſimum. Mel quoque plurimum hinc egeritur. Equi velociſſimi, qui & ſine arte tolitim incedunt, egregiè criniti, & iubis ad terram defluentibus. Cerui ſupra modum proceri: vno verbo conficiam ſi dixerò meritò ab Hungaris Theſaurum ſuum appellatam eſſe aliquando dum eâ potiebantur.

N V M. 3. *Mores.*

CICVLI contrario motu ab aliis gentibus ſaltant, dextrum enim pedem primum promouent: litteris vtuntur in quibus aliquod veſtigium cernitur Abyſſinæ, Syriacæ & Hebrææ ſcripturæ.

Aspectu toruo omnes sunt, omnes comam nutriunt ad terrorem. Nemo se putat ignobilem licet subulcus aut pastor, & verò in familiis officia distribuuntur sorte. Bellatores optimi, & laboris patientissimi. Reliqui indigenæ ab his moribus non multum absunt, aut suæ Gentis mores retinere. Apud omnes puellæ ad nuptias rapiuntur, sed repudiantur facile: ritum Græcum sequuntur Valachi degentes in montibus, aut per totam Transylvaniam sparsi, reliqui aut Catholici, aut Calvinistæ, vel Lutherani.

N V M. 4. *Politia.*

DIU paruit Regibus Hungariæ, qui hanc per Vaiuodam administrabāt delectum à Ciculis, Saxonibus, & Valachis. Sed tandem iugum excussit Io. Zapolia, qui varias expertus vi-ces ad Solymanum confugit; post mortem eius filij, electus est Stephanus Batorius vir fortissimus; exinde variæ turbæ exarsere, quas Turca, & Austriacus fouere. Nostrâ atate Betleem Gabor celeberrimus extitit, cui Ragoskius successit, in Germanicis bellis celebres.

CICVLI verò ex quo in Transylvaniam transiere omnino im-unes secundum leges suas vixere. Sed sub Io. Sigismundo filio Zapolia, amisere libertatem, præterquam in sede *Orbay* ob rebellionem. Sub Mose Ciculo iugum excutere conati sunt, sed grauius ferre compulsi, eisque decimæ impositæ sunt, quæ tandem sublatae sunt quando Gabriel Betleem Gabor, ex priuato factus est Princeps.

§. 12. *De Hungaria.*

N V M. 1. *Origo Hungarorum.*

HÆC multis fabellis implicata est. Narrat Iornandes Gothus Alirumnam quandam mulierem Scythicam humanâ specie maiorem, eiectam ex castris Gothorum quod parum pudicè viueret, Mæotim paludem transiisse, hîcque in syluis à dæmone compres- sam multos edidisse monstruosos partus, ex quibus Hungari pro- gnati. Alij fingunt Faunos & Satyros eorum parentes. Probabi- lius existimant alij, venatores dum feram insequuntur ultra Mæo-

Qq iij